pro

nunc de intentionis relaxationisque modo dicatur. Quamquam etiam cum relaxatur aliquid quasi fit ra
rius atque crassius. Cum intenditur spissius redditur subtiliusque tenuatur.

DE SONORUM DIFFERENTIIS PTOLOMEI SENTENTIA.

His igitur expeditis differentias sonorum ptholomeus diuidit hoc modo. Uocum aliae sunt unisonę
aliae minime. Unisonę quarum sonus unus est. uel in grauitate uel in acumine; non unisonę uero quando
est alia grauior. alia acutior. Harum partitionis ita ut earum inter se differentia communi fine
iungatur. Neque enim discreta est. sed a grauitate in acumen ita deducitur ut continua uideatur. Aliae uero
non unisonę. quarum differentia silentio interueniente distinguitur. Ut uero uoces communi fine
iungantur fit hoc modo. Sicut enim cum in nubibus arcus aspicitur. ita colores sibimet sunt proximi ut non
sit certus finis cum alter ab altero disgregatur. sed ita ex rubro discedit ad pallidum. ut per con
tinuam mutationem insequentem uertatur colorem. nullo medio certoque interueniente. quo utrosque
distinguat. ita etiam fit saepe in uocibus. ut si quis percutiat neruum eumque dum percutit tor
queat. euenit ut in principio pulsus grauior sit. dum uero torquetur uox illa tenuetur. continuique
fiant grauitas uocis sonus et acumen.

QUE UOCES ARMONIAE SINT APTE.

VI Cum igitur non unisonarum uocum aliae sint continuae aliae disgregatae. continuae quidem
tales sunt ut inter se earum differentia communi fine iungatur. nec habeat locum designatum uox acu
ta grauisque quem teneant. discretae uero habent proprios locos uelut colores inpermixti quorum
differentia uisitur suo quodam loco constituta. Continuae quidem non aequisonę uoces ab armonica facul
tate separantur. Sunt enim sibi ipsis dissimiles. nec unum aliquid personantes. Discretae uero uoces armoni
cae subiciuntur arti. Potest enim distantium sibique dissimilium uocum differentia deprehendi. In quibus
quae uel iuncta efficere melos possunt. EMMELEIS [i. modulati] dicuntur EKMELEIS [extra modulati] autem quibus iunctis
melos effici non potest.

QUE NUMERUM PROPORTIONUM PYTHAGORICI STATUANT.

VII Consonę autem uocantur quae copulatae mixtos suauesque efficiunt sonos. Dissonę uero quae minime;
Et hoc quidem ptholomei de sonorum differentia iudicium. Nunc autem quid a ceteris in consonan
tiarum positione dissentiat dicendum uidetur. phitagorici enim consonantias diapente ac diates
seron simplices arbitrabantur. atque ex his unam diapason consonantiam iungunt. Esse etiam
diapente ac diapason et bis diapason. Illam tripli. hanc quadrupli. Diapason uero ac diates
seron consonantiam esse non estimant. Idcirco quoniam non in superparticulari uel multiplici cadit
comparatione. Sed in multiplici superpartiente. Est enim haec proportio uocum ut octo ad tres.
Si quis enim horum quaternarium medio ponat efficit terminos hos. VIII. IIII. III. Quorum octo ad
quattuor diapason efficiunt consonantiam. quattuor ad tres [illegible] diatesseron. octo